

debitas in eos pœnas, tam per se, quam per suos locum tenentes, iudices, atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos et subdelegandos, procedant, procedique mandent, et juxta præsentem nostram constitutionem, justitia mediante, deveniant et deveniri faciant.

« § 18. Injungimus itidem pro ulteriori præmissorum implemento, tam hujus almæ Urbis nostræ gubernatori, et curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali auditori, cæterisque Urbis iudicibus, ad quos de jure spectat, quam omnibus etiam, et singulis nostris, et Sedis Apostolicæ in quibuscunque provinciis, legatis et vicelegatis, nec non quarumcunque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum, Nobis, et eidem Sedi, tam mediate quam immediate subjectorum gubernatoribus, prætoribus, capitaneis, commissariis, et aliis quibuscunque iudicibus, quavis etiam subdelegata potestate fungentibus, ut præsentibus nostras inviolabiliter in suis iudiciis observent, nec non contra delinquentes prædictos suæ jurisdictioni subjectos, ad formam earumdem præsentium omnino procedant, omniaque in eisdem litteris contenta plenariæ executioni demandent.

« § 19. Postremo decernimus has litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus comprehendere, vel illis derogari nullo modo tacite, vel expresse unquam posse, nisi de illis, earumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, et expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris et momenti fore, et tanquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse, atque ita per quoscunque iudices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, decernentes irritum et inane quidquid secus in præmissis, et quolibet præmissorum, atque hac nostra constitutione contentorum, et statutorum, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Urbis et Romanæ Curie tribunalium, aliarumque curiarum nostri Ecclesiastici Status, ac legationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præsentibus revoca-

mus, nullasque et invalidas esse declaramus; privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum forsitan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialibus, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihilo penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 20. Volumus autem ut, elapsis tribus respectu dictæ nostræ Urbis, et quindecim diebus respectu totius prædicti nostri Status Ecclesiastici, postquam præsentibus valvis ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, et in acie Campi Floræ per aliquem ex nostris cursoribus affixæ et publicatæ fuerint, omnes et singulos, tam in Urbe quam in toto Statu Ecclesiastico et legationibus existentes perinde obligent et arcent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatæ fuissent; utque earum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, si exhibitæ vel ostensæ essent, adhiberetur.

« § 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, sanctionis, legis, statuti, decreti, declarationis, dispositionis et jussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo nono, sexto Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto. »

* Cum de montibus pietatis plures egerint, nemo tamen uberius et eruditius in hoc argumento versatus est, quam P. Franciscus Xaverius Zech. in eo libro, quem a. 1747 Ingolstadii edidit prænotatum: « Rigor moderatus doctrinæ Pontificæ circa usuram a SS. D. N. Benedicto XIV; per epistolam encyclicam episcopis Italiæ traditus. » Cap. 1 sect. 6, a n. 257 ad 384.

MORGANEGIBA ET MORGENGABA, SIVE MATRIMONIUM AD MORGANATICAM.

NOVUS CASINENSIS ARTICULUS.

Matrimonii conscientia, de quibus actum est sub verb. MATRIMONIUM, art. 9, n. 63, simile est matrimonio sic dictum ad morganaticam (103), conjunctio nempe cum femina inæqualis conditionis ritu ecclesiastico iusta, sed ea lege, ut mulier ejusque filii id tantum de bonis patris assequerentur, quod tempore sponsaliorum conventum esset. Hoc pacto femina, quæ ducebatur inæqualis conditionis, neque ad viri dignitatem evadere, nec suscepti ex ea liberi patri hæredes esse poterat. Hinc quamvis hæc conjunctio utique pro vero matrimonio secundum Ecclesiæ leges haberetur, quippe sacro ritu celebrata, civilibus tamen effectibus, præsertim juxta Germanorum instituta (de quibus Adam Bremensis lib. 1 *Hist. eccl.*, c. 5) minime donabatur. Dictum porro fuit ad morganaticam voce corrupta a *morgengaba*, eratque, teste Gregorio Turonensi, l. ix, cap. 20, morgengaba donum matutinale, quod nempe maritus uxori mane post primam nuptiarum noctem faciebat, quasi ob præmium virginitalis, eujus spolia paulo ante retulerat. « In dote, quam in morganegiba, hoc est maritali dono in Franciam venientem certum est adquisisse... Tam in dote, quam in *morgengaba*, hoc est matutinali dono certum est acquisisse. » Sic Gregor., l. c. (104).

Hujusmodi donum vel lautum, vel tenue pro eujusque amore et charitate in uxorem fiebat. At cum quorundam, quos mulieris illecebræ deliniebant, ea in re dissolutior esset liberalitas, rex Longobardorum Luitprandus lege lata sanxit, ne quis propter

morgengap, ultra quartam partem bonorum suorum uxori daret; l. ii *Leg. Longob.*, tit. 5, cap. 1.

Porro tale matrimonium viros nobiles, præsertim in Germania contrahere mos invaluit, cum post obitum nobilis mulieris, quam pridem uxorem habuissent, ac genitos ex ea filios, aliam ducebant humili loco natam, ne prioris matrimonii liberi præjudicium inde sentirent.

Illud hic addere non abs re sit, in l. ii *Feudorum* exstare titul. viges. nonum, qui inscribitur *Matrimonium ad morganaticam*, ubi late de hujusmodi matrimonio cum peculiaribus circumstantiis agitur, in hæc sane verba: « Quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, etiam minus nobilem duxit, qui volens existere in peccato, eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia « decem libras, vel quantum voluerit dare, » quando eam desponsavit: quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege salica; hic, filiis ex ea susceptis, decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis exstantibus; sed nec in feudo, etiam aliis non exstantibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri, prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus, secundum usum Mediolanensium. » Unde vides quomodo ex *leg. Feud.* hoc matrimonium regeretur.

MORIBUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Moribundus nequit licite respicere remedia ordinaria ad sanitatem. — 2. Bene vero remedia extraordinaria, et nimis dura. — 3. Moribundus qui petit confessarium, licet, ipso adveniente, jam obmutuerit, et nulla dare possit signa penitentia, potest et debet absolvi saltem sub conditione. — 4. Moribundus qui nullum penitentia signum dedit nec dare potest, si ipse prius probe et christiane vixerit, et sacramenta frequentaverit, probabiliter potest absolvi sub conditione. — 5. Moribundus a quolibet sacerdote et probabiliter etiam a laico in articulo mortis absolvi potest ab excommunicatione et interdicto personali. — 6. Moribundo, si sit periculum vomitus, dari potest parva particula Eucharistia, quæ stomachum alteratur non credatur; aut si de hoc ipso sit dubium, potest fieri experimentum cum particula non consecrata; quam si retineat, danda est ei consecrata: secus non. Si autem inde-

pendenter a cibo, perpetuo evomat, nullo modo est ei danda sacra communio, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu exstiterit. — 7. Moribundo puero doli capaci probabiliter est dandum viaticum, quamvis nondum esset sanus ad communionem admissus. — 8. Si moribundus sit communicandus, et desit stola vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis. — 9. Moribundus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici, et hoc etiamsi non sit jejunus. — 10. Et licet sit jejunus, adhuc recte adhibetur formula *Accipe viaticum*, etc. — 11. Moribundus qui mane communicavit sanus ex devotione, an superveniente periculo teneatur eadem die per modum viatici communicare? — 12. Moribundo post 7 vel 8 dies potest iterum dari viaticum, etiamsi non sit jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurat. — 13. Moribundo, quando morbus et periculum diu protrahitur, potest iterum post 7 vel 8

(103) Matrimonii conscientia quoad substantiam illa ad morganaticam respondent. Secus vero quantum ad civiles effectus attinet, quibus hæc posteriora carent, non sic priora, habita etiam ratione constitutionis felic. record. Benedicti XIV, incip. *Satis vobis*, quam integram attulimus sub verb. MATRIMONIUM, art. 9, sub num. 63, ubi multa invenies, quæ hujusmodi matrimonia spectant. Quid vero apud nos in matrimonii conscientia quantum ad civiles effectus obtineat, in actibus sic dictis post

novissima concordata videre est, part. iii, pag. 182 et seqq.

(104) Et quidem morgengaba in omnibus matrimoniis locum habebat, moribusque receptum erat, ut solemniter instrumento cum aliis nuptiarum lucris finiretur et promitteretur. Et quoniam in inæquali conjugio hoc unum uxor, ejusque filii lucrabantur, inde ad *morgengabicam*, seu *morganaticam* dictum fuit.

dies dari viaticum, quamvis non sit jejunus. — 14. Moribundo dari potest, et debet viaticum, etiam in die Parasceves. — 15. Si moribundus, ob tussim vel aliam causam, sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. eucharistia devotionis causa. — 16. Pro consecrando viatico dando moribundo non est licitum sacerdoti non jejunio celebrare. — 17. Aliqui tamen tenent contrarium. — 18. Pro viatico dando moribundo non debet consecrari hostia extra sacrificium, etiam in necessitate. — 19. Nec etiam in simili necessitate licitum est sacerdoti Latino consecrare in fermentato. — 20. In defectu sacerdotis Latini potest moribundus sumere viaticum a sacerdote Græco consecratum in fermentato. — 21. Moribundus, si nequeat sumere viaticum sub specie panis, an sit ei dandum sub specie vini? — 22. Perpetuo amenti moribundo non est dandum viaticum. — 23. In dubio an amentes adulti utantur ratione, est eis dandum viaticum. — 24. Amentibus qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse illum in mortali, dandum est viaticum. — 25. Phrenetico, aut deliranti, sive ex mania, sive ex morbo, si quando alligatur accipiat cibos, debet etiam alligato dari viaticum. — 26. Si autem sit dubium an reverenter suscepturus sit, faciendum est experimentum cum una vel altera particula non consecrata, et si aliquam reverenter suscipiat, danda est

(1. Moribundus nequit licite respuere remedia ordinaria ad sanitatem; quisquis enim tenetur vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis opitulari: Sanch., *Consil.*, lib. v, cap. 1, disp. 34; Busembaum et La Croix, lib. II, n. 201, et lib. III, part. I, n. 769 et 775; Henno, tom. I, *Tract. de conscientia*, disp. 3, quest. ult., conclus. 3, resol. 4, et alii passim. (2. Non tenetur autem pro vita conservanda ad remedia extraordinaria et nimis dura, ut ad abscissionem cruris, et hujusmodi, nisi talis moribundus esset persona necessaria reipublicæ, vel Ecclesiæ, quia tunc teneretur ratione boni communis. Layman., lib. III, tract. 3, part. III, lib. III, cap. 1, n. 5; Sanchez, Victoria, Lugo, Gobat, cum Busemb., et La Croix, lib. III, part. I, n. 767 et 775, et alii passim.

(3. Moribundus, qui petit confessarium, licet, ipso adveniente, jam obmutuerit et nulla dare possit signa penitentiae, potest et debet absolvi saltem sub conditione. *Communis* cum La Croix, lib. VII, part. II, n. 1156. Vide verb. *ABSOLUTIO*, art. 2, num. 1.

(4. Moribundus qui nullum penitentiae signum dedit, nec dare potest, si ipse prius probe et christiane vixerit, et sacramenta frequentaverit, probabilius absolvi potest sub conditione. Vide dict. verb. *ABSOLUTIO*, art. 2, n. 4 ad 7, ubi plurimi ad id citantur doctores, et efficaces dantur rationes;

(105) *Nota Romani theologi.* — Assertio auctoris de sacerdote muto nutibus, aut scripta forma absolvente, improbanda omnino videtur doctissimis censoribus: et quidem jure atque merito. Nam explorata in theologia res est, sacramentum penitentiae verbis perfici a sacerdote prolatis, non absolutione nutibus, aut scripto data. Id enim ex Apostolica traditione, et ex conciliis Tridentino et Florentino evidenter patet. En Tridentini verba, sess. XIV, cap. 3: « Docet sancta synodus, sacramenti penitentiae formam, in qua praeceptis vis ipsius sita est, in illis ministri verbis positam esse: « Ego te absolvo, » etc. » Hoc idem definitum prius fuerat in

ei etiam consecrata. — 27. Moribundo in defectu parochi potest dari viaticum a quolibet sacerdote, sive saeculari, sive regulari, et in defectu sacerdotis etiam a diacono; imo secundum multos etiam a laico, quod tamen ob contrariam consuetudinem facile non est practicandum. — 28. Pro consecrando viatico dando regulari infirmo in domo privata consanguineorum, seu aliorum saecularium, non potest ab alio regulari erigi ibi altare portatile, et sacrum peragi, et inde viaticum ipsi ministrari absque licentia ordinarii, vel parochi. — 29. Moribundo, si fuerit catholicus, et non constet esse in mortali, dandum est sacramentum extremae unctionis, etiamsi illud non petierit. — 30. Moribundus praeter confessionem tenetur ad actum contritionis perfectæ. — 31. Moribundi possunt, imo quandoque etiam tenentur contrahere matrimonium. — 32. Moribundus an possit absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut haeretico? ad n. 55. — 36. Moribundi ex morte naturali deficere solent in detumescencia maris. — 37. Adducitur novissima ampliata facultas concessa episcopis pro impertienda benedictione papali moribundis. — 38. Affertur modus impertiendi dictam benedictionem. — 39. Alia ad rem ad n. 40. — 41. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 58.

atque hic adde, hanc opinionem in praxi amplexum esse Clementem VIII, qui ex remoto loco videns quemdam e fabrica S. Petri cadentem, statim ei absolutionem sub conditione impertitus est, dicens: « Si es capax, ego te absolvo a peccatis tuis; » teste Diana, part. III, tr. 8, resol. 8, tr. 6, res. 28. Juxta varios, si moribundus non haberet, nisi sacerdotem mutum, quamvis certum sit formam in verbis consistere, tamen, stante casu necessitatis extremae, melius est ut talis sacerdos nutibus, vel scribendo formam eum absolveret, quam ut se omnino retraheret, quia, sicuti moribundus qui supponitur dolere de peccatis absolvi potest, etiam non praestitis signis expressis, ita praefata absolutio non videtur reprobanda: tum quia recurrunt dicta *loc. cit.*, verb. *ABSOLUTIO* (105).

(5. Moribundus a quolibet sacerdote, et probabiliter etiam a laico in articulo mortis absolvi potest ab excommunicatione et interdictione personali. Diana, Layman, Alloza, et alii cum La Croix, lib. VII, n. 130, qui dicunt probabile esse, quod tunc sic absolvere possit omnis etiam laicus, quamvis esset haereticus, dummodo dispensandum non sit. Licet enim sententia communior et probabilior sit cum Arriaga, dist. 39, n. 5, et Lugo disp. 18, n. 7, quod laicus, absente clerico, ne quidem in articulo mortis valide

concilio Florentino, decreto pro Armenorum instructione edito. Si certum est, ut vel ipse Ferraris indicat, ex Christi institutione verbis a sacerdote prolatis hujusmodi sacramentum perfici oportere, et si in his tota vis formæ hujus sacramenti sita est, ergo in nutibus vis hujusmodi desideratur; ergo in verbis non prolatis, sed scriptis, eadem vis deest; ergo sacerdos mutus nutibus, vel scripta forma absolvente, sacramentum penitentiae non conficit, vel saltem vehementer suspectum facit. Id vero licitum non ex theologorum omnium consensione: perinde enim esset ac sacramentum simulare, vel certe utilitatis periculo exponere.

absoluta censuris, oppositum tamen probabiliter tenent graves auctores, quos referunt Diana, part. III, tract. 4, resol. 133, Moya, disp. 7, qu. 1, n. 8; La Croix, *loc. cit.*, eo quod putent piam matrem Ecclesiam, quæ id etiam laico delegare potest, pro eo articulo nolle eum quem poenitet, privari beneficio sepulturae, et communibus suffragiis. Imo Sanchez, in *Decal.* lib. II, cap. 13, n. 13; Marchinus, alique multi cum Dicast, d. 3, n. 12, apud La Croix, lib. VII, n. 130, putant laicum teneri pro tali casu absolvere a censuris, quia secundum supra allegatos doctores probabile est valere talem absolutionem, nec potest obesse, neque ullum sequitur inconveniens, et aliunde moribundo praestatur magnum beneficium, ut nempe participet suffragia Ecclesiæ, et sepulturam ecclesiasticam obtineat (106).

(6. Moribundo, si sit periculum vomitus, dari potest parva particula eucharistiae, quæ stomachum alteratura non credatur, aut si de hoc ipso sit dubium, securitatis gratia dari potest particula non consecrata ad experiendum an possit retinere consecratam necne? et si retineat non consecratam, danda est ei etiam consecrata: si vero non consecratam rejiciat, non est ei danda consecrata. Si autem independenter a cibo perpetuo evomat, nullo modo est ei danda sacra communio, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu exstiterit. Sic expresse Sanchez apud Dianam, part. V, resolut. 55, Busembaum et La Croix, lib. VI, p. I, n. 586 (107).

(7. Moribundo puero doli capaci, qui sciat distinguere eucharistiam ab alio cibo, probabilius est dandum viaticum, quamvis

(106) Falsum omnino putatur posse omnem laicum ab excommunicatione aliisque censuris moribundum absolvere; scimus enim id asseruisse Silvestrum ac nonnullos alios theologos; sed facile falsitatis convincitur horum opinio: tum quia iis tantum absolventi a censuris potestas competit, quibus a Christo Domino jus ligandi atque solvendi concessum est, quod sane laicis minime convenit, tum etiam quia concilium Tridentinum sess. XIV, cap. 7, ait: « In articulo mortis omnes sacerdotes, quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris absolvere possunt. » Ex iis autem verbis eruditus continuator Tournely colligit: « Nec laicum, nec clericum, qui sacerdos non sit, a censuris absolvere posse: tum quia concilium Tridentinum non loquitur nisi de sacerdotibus; tum quia potestas absolventi a censuris in periculo mortis non datur, nisi ut quis etiam a peccatis absolvi possit, solus autem sacerdos a peccatis absolvere potest; tum quia usu receptum est ut solus sacerdos in hoc etiam mortis discrimine absolutionem a censuris impendat, non autem clericus, nisi is forte censuram tulerit, eamque idcirco relaxare valeat. »

(107) Potest alia via experiri an possit moribundi stomachus consecratam particulam retinere: nec unquam permittendum est ut non consecrata particula experimentum fiat, tum ob periculum, quod occurrere fortasse posset idololatriæ, tum etiam ne debita erga sacram eucharistiam veneratio hac via minuat.

(108) In dubio de pueri capacitate ad rite discernendum inter sacrum viaticum et alios cibos, Eu-

nondum esset sanus ad communionem admissus. Layman, tract. 4. *De eucharist.* c. 4; Suarez, disp. 30, sect. 1, Busemb. et La Croix, lib. VI, par. I, n. 586 et 647; Lugo, disp. 13, sect. 4, n. 38, ubi n. 40, contra Sanchez addit, quod, si de capacitate pueri sit dubium, possit nihilominus dari, etsi non sit necesse; et sic tenent etiam Dicastill., Diana, Tamburin., cum La Croix, lib. VI, n. 648 (108).

(8. Si moribundus sit communicandus, et desit stola vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis. *Vide* verb. *INFIRMUS*, n. 19.

(9. Moribundus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici; et hoc etiamsi non sit jejunus. *Vide* verb. *EUCCHARISTIA*, n. 34; verb. *VIATICUM*, n. 4.

(10. Et licet sit jejunus, adhuc recte adhibetur formula « Accipe viaticum, » etc. *Vid.* d. verb. *EUCCHARISTIA*, n. 35, verb. *VIATICUM*, n. 5.

(11. Moribundus, qui mane communicavit sanus ex devotione, an superveniente periculo, teneatur eadem die per modum viatici communicare? *Vid.* d. verb. *EUCCHARISTIA*, n. 36 (109).

(12. Moribundo post 7 vel 8 dies potest iterum dari viaticum, etiamsi non sit jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. *Vid.* d. verb. *EUCCHARISTIA*, n. 37.

(13. Moribundo, quando morbus et periculum diu protrahitur, potest iterum post 7 vel 8 dies dari viaticum, quamvis non sit jejunus. *Vid.* d. verb. *EUCCHARISTIA*, n. 38.

(14. Moribundo dari potest et debet viati-

charistia præberi eidem non debet. Etsi enim scimus, ut in antiqua Ecclesia, ita etiam nunc in Ecclesiis aliquibus Orientalibus pueris quoque Eucharistiam administrari; tamen Latina Ecclesia a multis saeculis constituit, ut nonnisi discernentibus cibum Eucharisticum distribueretur, ut debitum in sanctum sacramentum obsequium, ac veneratio servaretur. Ubi ergo dubium est num puer id revera intelligat atque discernat, ex Ecclesiæ institutione sacro viatico refici puer ille non debet, cum hoc non sit sacramentum necessitatis, et cum ex praxi Ecclesiæ constet sacramentum hujusmodi non communicari nisi iis quos Ecclesia noverit ita capaces, et in religionis institutis instructos, ut caelestem, et angelorum panem a vulgari cibo discernant. Atque hinc patet etiam injuria, n. 22, asseri, « in dubio, an adulti amentes utantur ratione, » dandum eis viaticum esse. Cum enim hoc sacramentum necessitatis non sit, in dubio administrandum non est.

(109) *Vide* de hac re Benedictus XIV, *De synodo diocesana*, lib. VII, cap. 11, ubi, recensita eorum opinione qui aiunt, etiam hominem qui mane communicaverit, incidendo inopinato in mortis periculum, teneri denuo se reficere eucharistico cibo; illorum qui dicunt recipere iterum eucharistiam sine periculo non posse; denique illorum qui putant, posse dicto homini viaticum dari, sed nullo ad id cogi præcepto, ita concludit: « In tanta opinionum varietate, doctorumque discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit, quin fas sit episcopo in parochum animadvertere, qui praefato aegrotanti viaticum denegavit, etc. »

eum, etiam in die Parasceves. *Vid.* d. verb. EUCHARISTIA, n. 39.

(15. Si Moribundus ob tussim vel aliam causam sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. Eucharistia devotionis causa. *Vide* d. verb. EUCHARISTIA, num. 50.

(16. Pro consecrando viatico dando moribundo non est licitum sacerdoti non jejuno celebrare. *Vide* verb. INFIRMUS, num. 28.

(17. Aliqui tamen tenent contrarium. *Vide* d. verb. INFIRMUS, n. 29, * et Benedictum XIV. *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 12, n. 8, ubi istorum opinionem refellit, negatque absolute sacerdoti non jejuno celebrare missam licere, ut infirmo viaticum possit ministrari *.

(18. Pro viatico dando moribundo non debet consecrari hostia extra sacrificium, etiam in necessitate. La Croix, l. VI, part. I, num. 610, ubi cum Dicastill., d. 10, num. 344, testatur de communi contra Majorem putantem id esse licitum. (19. In simili necessitate Major docet esse licitum sacerdoti Latino consecrare in fermentato, quam sententiam Tannerus et alii non audent damnare. Attamen oppositam sententiam docet *Communis* cum Dicastill. et La Croix *loc. cit.* num. 610, quia præceptum viatici non obligat cum tanta deformitate ritus. * Atque huc pertinent quæ habet Benedictus XIV in constitut. *De dogmatibus et ritibus ab Italo-Græcis tenendis atque servandis*; Bullar., tom. I, numer. 57, § 6, *De sacram. eucharistiæ et missæ sacrificio*, num. 10. « Cum in sacro generali Florentino concil. præscriptum sit ut unusquisque sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ in azymo, seu fermentato conficere debeat, vestitumque a Summis Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, ne Latinus sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne presbyteri Græci Latino more, et Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum et facultatum missas et alia divina officia Græci Latino more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus legatis, ac etiam majori pœnitentiario pro tempore existente obtenturum prætextu, missas et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. » Itaque in *Appendice de Orientalis Ecclesiæ circa eucharistiam disciplina*, subjecta tractatui P. Antoine *De eucharistia*, § 1, pag. 433, ibi, indicata obligatione quam quisque habet manendi in semel suscepto ritu, subditur: « Ex iis optime concludit Verricellus, non licere sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Græca, nec Græco in Ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet sacrificio privari, et proximus absque viatico decedere. Quia utilitas communis privatorum commodis præferenda est: ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiæ servare præscriptos ritus: et quia præceptum sumendæ eucharistiæ in articulo mortis, et audiendi sacri in diebus festis non obligat, nisi dum sacrum celebrari possit servatis legibus

ac ritibus ab Ecclesia stabilitis. Igitur, ut sacerdos non jejunos celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat sacrum die festi, ita sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare contra Ecclesiæ præceptum, ut populus sacrum audiat, vel ut morti proximus eucharistiam sumat.

(20. In defectu sacerdotis Latini potest moribundus sumere viaticum a sacerdote Græco consecratum in fermentato: La Croix, *loc. cit.*, Tamburin., cap. 2, § 9, n. 12, et alii. (21. Moribundus, an si nequeat sumere viaticum sub specie panis, sit ei dandum sub specie vini? Variant doctores. Nugnus enim, et Ochagay, tenent affirmativam sententiam, quia, dicunt ipsi, præceptum divinum de sumendo viatico prævalet humano de communicando solum sub specie panis, et id probabile censent Diana, Escobar et alii apud La Croix, *loc. cit.*, n. 611. Negativam autem probabilius docent Fagnanus, Suarez, Diana, Amicus, Lugo, Tamburin., Dicastill., Platell. citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 611, dicentes non teneri moribundum in tali casu sumere viaticum sub specie vini, non quod præceptum humanum prævaleat divino, sed quia divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia, et principalibus ritibus, et quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis. * Alias orta est dubitatio, inquit Benedictus XIV, *De missæ sacrificio*, lib. III, cap. 19, n. 6, an moribundo qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non posset, liceret eam præbere sub specie vini, seu sub specie panis vino consecrato intincti; qui respondebat licere concil. Toletano XI habito anno 673, sententiam suam fulcire poterat; ea enim synodus, can. 11, statuit, si æger sacram non possit particulam deglutire, ut ei præbeatur eucharistia sub specie vini: sunt etiam alia monumenta Ecclesiasticæ historiæ, ex quibus intelligitur, Eucharistiam exhibitam fuisse sub specie panis vino consecrato intincti, ut ostendunt Martene, lib. I *De sacr. Eccl. ritibus*, cap. 4, art. 10, n. 13; card. Bona, lib. II *Rer. liturgic.*, cap. 18, n. 3, et Mabillonius, I præfat. in sæculum XI ordinis Benedictini, n. 75, observat 10. Vera tamen opinio est, id fieri non posse: præceptum enim suscipiendi viaticum non obligat, cum illud gravibus de causis ab Ecclesia negatur: compertum autem est Ecclesiam usum calicis laicis et sacerdotibus missam non celebrantibus prohibuisse, non modo propter plures irreverentias quæ identidem committebantur, sed etiam propter hæresim eorum qui gariebant sub specie panis non contineri corpus Christi, vel præceptum esse Christi, ut Eucharistia sub utraque specie sumatur. Ita respondent Suarez, in III part., tom. III, disput. 71, sect. 3, circa fin.; cardinalis de Lugo, *Respons. moral.*, lib. I, dub. 10, n. 2 et 8 clericatus, decis. 14, cas. 2, n. 15 et seq., *De sacram. euchar.* Pax Jordanus, tom. I, lib. III, tit. 3, num. 34, monet, in ejusmodi casu posse moribundo sacram exhiberi particulam aqua,

vel vino non consecrato intinctam, ut eam æger possit deglutire; lex enim de naturali jejuniis servando eum non obligat qui viaticum sumit. * »

(22. Perpetuo amenti moribundo non est dandum viaticum. S. Thomas, qu. 80, art. 9, in *Opuscul.*; La Croix, lib. VI, part. I, num. 654 quia, ut ibi notat, id prohibet Rituale Pauli V. (23. In dubio an adulti amentes utantur ratione, Gobat, tract. 4, n. 173, 417 et 418; La Croix, *loc. cit.*, num. 655, et alii dicunt esse eis dandum viaticum, quia in dubio favendum est potius homini, pro quo institutum est sacramentum, cum certo ipsi proposit, et probabiliter possit etiam causare primam gratiam, si forte homo ille in mortali esset, de quo saltem attritionem habuisset.

(24. Amentibus qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse illum, in mortali dandum est viaticum. S. Thomas, *loc. cit.*; *Catechism. Roman.*, *De euch.*, cap. 11, num. 2, La Croix, *loc. cit.*, num. 656, quia hoc ipso, quod nesciatur amisisse usum rationis in mortali, præsumendum est esse in gratia, quia potuerunt vel sine ulla, vel cum levi tantum culpa amisisse. Gobat, *loc. cit.*, num. 131, cum communi, ut testatur La Croix, *loc. cit.*

(25. Phrenetico aut deliranti, sive ex mania, sive ex morbo, si, quando alligatur, accipiat cibos, debet etiam alligato dari viaticum. S. Thom., Aversa, Sanch., Diana, Gobat, secuti et citati a La Croix, *loc. cit.*, num. 660. (26. Si autem sit dubium, an reverenter suscepturus sit, faciendum est experimentum cum una vel altera particula non consecrata, et si aliquam reverenter suscipiat, danda est ei etiam consecrata. La Croix, d. num. 660, cum Layman, Castropalao, Diana, Gobat ibi citatis (110).

(27. Moribundo in defectu parochi potest dari viaticum a quolibet sacerdote, sive sæculari, sive regulari, et in defectu sacerdotis etiam a diacono. *Communis* cum Layman, lib. V, tract. 4, cap. 7; Busemb. et La Croix, lib. VI, part. I, num. 479. Imo Suar., Coninch., Laym., Præpositus, Dian., et alii apud Busemb. et La Croix, *loc. cit.*, n. 479, dicunt in articulo mortis, in defectu supradictorum, posse ei dari viaticum etiam a laico. Quod tamen ob contrariam consuetudinem non est facile practicandum, ut docent Lugo, Bonac., cum ipso Busemb. et La Croix, *loc. cit.*

(28. Pro consecrando viatico dando regu-

(110) *Nota Romani theologi.*— Si experimentum fiat cum particula non consecrata, infirmus periculo exponitur actus idololatriæ, qui, licet materialis sit respectu illius, permitti tamen non potest. Falsum quoque est quod n. 27 asseritur de laico, qui possit necessitate urgente viaticum deferre. Tantam enim in sacram eucharistiam venerationem exposcit Ecclesia, ut laicis etiam tactum sacrorum vasorum interdixerit; quis ergo credat permittere eisdem, ut eucharistiam tangant, deferantque ad infirmos? Non desunt sane in antiqua Ecclesiæ exempla laicorum qui Eucharistiam ad infirmos detulerint: at alia

lari infirmo in domo privata consanguineorum, seu aliorum sæcularium, non potest ab alio regulari erigi ibi altare portatile, et sacrum peragi, et inde viaticum ipsi ministrari absque licentia ordinarii aut parochi. Sic expresse sacra congregatio Concilii in *Messanen. privilegii*, 20 Sept. 1690, lib. XVIII *Deer.*, pag. 471, ubi propositis dubiis. Primo: « An regularis Theatinus potuerit licite erigere altare portatile, sacrum peragere, et sanctissimum viaticum ministrare alteri regulari infirmo in domo privata illius consanguineorum absque licentia ordinarii aut parochi? Secundo: An possit ordinarius in hoc et similibus casibus procedere contra regulares etiam ad censuras? » Respondit « ad 1 negative, ad 2 affirmative, sed in præsentibus non molestandum. » Sic refert. eminentiss. Petra, tom. III, *Commentar. ad constit. 11 Alexandr. IV*, n. 33 (111).

(29. Moribundo, si fuerit catholicus, et non constet esse in mortali, dandum est sacramentum extremæ unctionis, etiamsi illud non petierit; nam hoc ipso censetur interpretative voluisse et petisse quod alii Christiani, etiamsi de eo sacramento nunquam audierit. Busemb. et La Croix, lib. I, p. I, n. 163, et alii passim.

(30. Moribundus tenetur ultra sacramentalem confessionem actum contritionis perfectæ elicere. Licet enim constitutus in articulo mortis non teneatur confiteri cum contritione perfecta, eo quod moraliter certum est sacramentum pœnitentiæ cum attritione ad justificationem sufficere, quemadmodum liquet ex Tridentin., ses. XIV, cap. 4 (*Vide* verb. PœNITENTIÆ SACRAMENTUM), et ex propositionibus 14 et 15 ab Alexandr. VIII damnatis, ac sub verb. *Propositiones damnatæ* allatis; tamen ad id tenetur ex alio capite, quia scilicet quilibet fidelis tenetur præsertim eo puncto, in quo agitur de summa rerum, et momento, a quo pendet æternitas, suæ saluti prospicere, atque consulere omni meliori, quo fieri potest modo, qualis est eliciendo præter confessionem sacramentalem actum contritionis perfectæ; nam non sumus infallibiliter certi de ministro baptismi, ac de ordinatione sacerdotis, etc., pro quo tamen eliciendo cavere debet moribundus, ne obrui sinat ab iis quæ diabolus descendens tunc magnam habens iram, sciens quia modicum tempus habet, impie vomit, ac invidie opponit; sed fiducialiter ad supernum auxilium confugiat, ac firmiter fideliterque sibi suasum habeat,

nunc tempora sunt, alia Ecclesiæ consuetudines, alia leges necessariae ad servandam ac fovendam debitam huic sacramento venerationem. Permittendum itaque ut potius sine viatico infirmus decedat, quam ut leges violentur ab Ecclesia lata; ne laici Eucharistiæ sacramentum administrent.

(111) Nec parochus neque etiam ordinarius licentiam concedere regularibus potest, ut in domo infirmi altare portatile erigant, ibique celebrent, ut inde viaticum administrent; sed necessaria est Summi Pontificis licentia.